

Item inter tales devotas, que libenter stant in obediencia, abscondunt se errantes et oves morbid(e), que inficiunt alias per suam malam doctrinam et celant sua mala sociando se bonis, ut sic transeant impunitē^{f)} et ut possint perseverare in suis erroribus, quod amplius non potest sustinere dominus episcopus, quia vult discernere malas a bonis et e converso, ne male^{g)} inficiant bonas etc.

Item post dicatis, quod percepimus a fide dignis personis, quod multe ex eis fugam receperunt, que nolunt obedire.

Item postea dicatis, quod mirabile sit, quod in tanto dolore et merore sint multe devote persone, que ad hoc ligentur et coerceantur ad exponendum pepla seu superos pannos extra pallia sua, que tamen non considerant, quod Adam expulsus de paradiso et Eva propter esum pomi non propterea, quod hoc malum in se fuisset, sed propter inobedienciam, quam deo fecerunt ita; modo d(ic)o de presenti, que esset: vis infra vel supra deferre pannos? Sed quilibet persona debet stare in obediencia. Constitutio papalis²⁴⁵⁾ prohibet habitum apparencie religionis nisi in approbato ordine.

Item postea de illis de tertia regula, ad que tenentur plebanis, d(ic)o²⁴⁶⁾: quod possunt confiteri fratribus Minorum ordinis sancti Francisci quando vel quociens volunt inrequisito plebano, et sacramentum corporis Christi ab eis in ecclesiis eorum recipere quando vel quociens volunt de licencia confessorum — iterum sine licencia plebani —, hoc tamen excepto, quod in festo pasce adminus debent suscipere sacramentum corporis Christi a suis plebanis, in quorum parrochiis moram trahunt vel domicilium habuerint, vel de eius licencia. Item credo, quod sine licencia Minorum possunt nobis confiteri et sacramentum corporis Christi accipere quocienscumque volunt.

Item sunt nonnullae ex personis pretactis, que ante octo vel decem annos fuerunt in aliquibus erroribus, de quibus nunc agitur, et abstraxerunt se ab eis non eundo in habitu conformi²⁴⁷⁾, et per hoc putant se non debere absolvi. Quibus omnino consulendum est, ut ad cautelam procurent se absolvi a domino vicario etc.

f) impuniti W g) mali inficiant bonos W. *Der Kontext handelt eindeutig von Frauen*

²⁴⁵⁾ Damit dürfte die Konstitution *Cum de quibusdam mulieribus* gemeint sein (vgl. Conc. Oecumen. Decreta, 1973, S. 374; = in Clem. 3.11.1; ed. Friedberg 2, 1169).

²⁴⁶⁾ Vgl. oben Beilage Nr. 16 S. 181 Z. 20 ff.

²⁴⁷⁾ Vgl. dazu oben S. 114.